THESES

EX TRACTATU DE SACRAMENTIS IN GENERE

DEPROMPTAE

QUAS SUB AUSPICIIS

ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. PRAESULIS

MARCI ZAGURI

EPISCOPI VICETINI

DUCIS MARCHIONIS ET COMITIS ETC.

PUBLICE PROPUGNANDAS EXPONIT

BARTHOLOMAEUS FOCCHESATO

SEMINARII VICETINI ALUMNUS

PRAECEPTORE ET ADJUTORE

FRANCISCO SBERZI

IN EODEM SEMINARIO THEOL. MORALIS

LECTORE.

DATA CUIQUE POST TERTIUM ARGUMENTANDI

COPIA MORE ACADEMICO



VICENTIAE

TYPOGRAPHIA PARONI

1806

Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur.

Tertullianus lib. de Resurrectione Carnis c. 8.

THESES

EX TRACTATU DE SACRAMENTIS IN GENERE

DEPROMPTAE



I.

Sublatis per legem Evangelii, et gratiae Sacramentis legis veteris, *alia sunt instituta*, ut inquit Augustinus, *virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora* (*a*). Haec sunt sanctissima novae legis Sacramenta, per quae juxta Tridentinum Concilium *omnis vera justitia vel incipit, vel caepta augetur, vel amissa reparatur* (*b*); per quae quasi per alveum quemdam, virtutem, quae ex Christi passione manat, hoc est gratiam, quam ille hominibus in ara Crucis meruit, in ipsos homines derivare oportet.

(*a*) *Lib. 19. contra Faustum c. 13.*
(*b*) *Sess. 7. Proem.*

II.

Ea scilicet est Sacramentorum novae legis ratio, ut non quidem naturaliter, sed ex instituto, et meritis Christi vim habeant gratiae non modo significandae, sed etiam conferendae; unde Chrysostomus: *Sacramentum aliud oculis, aliud menti exhibet* (*a*).

III.

Quod cum certum, indubitatumque sit, merito eos omnes rejicimus, qui cum Socino docent, Sacramentum esse nudum, et simplex signum, quo Christianus a Judaeo, vel Gentili distinguitur. Hujusmodi enim verba eam vim, quam Sacramentum habet producendi gratiam non modo non exprimunt, aut indicant, sed potius excludunt.

IV.

Ab iis etiam prorsus dissentimus, qui tradunt, Sacramentum esse externum Symbolum, seu testimonium, quo Deus

(*a*) *Hom. 7. in 1. ad Corint.*

conscientiis nostris promissiones suas obsignat ad sustinendam fidei nostrae imbecillitatem. Nam per hos omnis efficacia Sacramentis adimitur, et in solam fidem refunditur, quod naturae Sacramentorum novae legis plane adversatur.

V.

Sane certum est, per hujusmodi Sacramenta gratiam conferri vi actus externi, et congruo modo hominibus applicati citra meritum suscipientis, seu administrantis; idest juxta scholae loquendi modum a Tridentinis Patribus usurpatum *ex opere operato* (a).

VI.

Fatemur quidem, hunc dicendi modum *ex opere operato* quoad effectum Sacramentorum designandum priscis temporibus in usu non fuisse; ob hanc tamen vocabulorum novitatem non est, cur adeo in nos insurgant Heterodoxi; siquidem haec vocabula non ad novita-

(a) *Sess. 7. can. 8.*

tem doctrinae introducendam inventa fuerunt, sed ad veterem commode enunciandam.

VII.

Novitates hujusmodi non eae profecto sunt, quas arguit Paulus dum dicit: *o Timothee depositum custodi, devitans profanas vocum novitates* (a). Minime enim loquitur Apostolus de iis vocibus, quae Ecclesiae approbatione ad antiquam doctrinam exprimendam quandoque introduci consueverunt.

VIII.

Antiquam porro Ecclesiae Christi doctrinam, eadem de Sacramentorum efficacia tradidisse, quae nos tradimus, cuilibet innotescere facile poterit, qui haec praesertim perpenderit: *Petrus vero ad illos: poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum vestrorum* (b). Et: *Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi . . . . cum impositio-*

(a) *1. Tim. 6.* (b) *Act. 2.*

ne manuum presbyterii (*a*) Hinc Augustinus ostendit, *constare Baptismum* . . . *propria sanctitate, atque veritate, propter eum, a quo institutus est* (*b*).

IX.

Neque huic doctrinae adversantur haec Apostoli verba: *justitia Dei per fidem Jesu Christi* (*c*). *Corde creditur ad justitiam* (*d*). *Arbitramur, hominem justificari per fidem* (*e*). Ex his enim hoc unum colligi potest, nempe in justificationis negotio primas esse fidei partes juxta illud Tridentini Concilii: *fides est humanae salutis initium, fundamentum, et radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo* (*f*). Unde Apostolus ipse: *salvos nos fecit per lavacrum regenerationis* (*g*).

X.

Sane fides, aliaeque virtutes non sunt Causae effectrices gratiae, quae

(*a*) *1. Tim. 4.*
(*b*) *Lib. 4. contra Cresc. c. 16.*
(*c*) *Rom. 3. 22.*
(*d*) *Rom. 10. 10.*
(*e*) *Rom. 3. 28.*
(*f*) *Sess. 6. can. 8.*
(*g*) *Tit. 3. 5.*

per Sacramenta obtinetur, sed simplices, et merae dispositiones.

XI.

Has tamen in iis, qui sunt rationis compotes, ut gratiam a Sacramentis consequantur, necessarias esse, indubitatum est.

XII.

Unde liquet, nos non ita Sacramentis efficaciam vindicare, ut prosint etiam ponentibus obicem, idest iis, qui dum possunt, praeviis fidei, spei, aliarumque virtutum motibus se non praeparant. Cum Augustino quippe unumquemque admonemus: *Qui fecit te sine te, non te justificat sine te* (a).

XIII.

Illud nimirum de Sacramentorum efficacia asserimus, quod in Tridentina Synodo legimus sic definitum: *Si quis dixerit, Sacramenta novae legis non continere gratiam, quam significant, aut gra-*

(a) *Serm. 15. de verb. Ap.*

tiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae, vel justitiae, et notae quaedam Christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus; anathema sit (*a*). Et alio canone: *si quis dixerit, per ipsa novae legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere; anathema sit* (*b*).

XIV.

Per se autem manifestum est, hanc efficaciam haberi non posse, nisi ea ad Sacramentum conficiendum concurrant, quae ad id necessario requiruntur.

XV.

Tria porro, materiam videlicet, formam, et intentionem ad Sacramenta conficienda concurrere asserit Eugenius IV. his verbis: *Sacramenta tribus perficiuntur videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona mini-*

(*a*) *Sess.* 7. *can.* 6. (*b*) *Sess.* 7. *can.* 8.

stri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, quorum si aliquod desit non perficitur Sacramentum (*a*).

XVI.

Neque solum cum materia deest non perficitur Sacramentum, sed ne tum quidem cum in eadem mutatio *substantialis* contingit, quae tum evenit, quum non manet amplius eadem res in substantia, aut quum, pristina remanente natura, ratio signi in eadem omnino desideratur, ex. gr. si aqua ad Baptismum conficiendum adhibenda sit congelata.

XVII.

Similiter dicendum est, ibi Sacramentum non confici, ubi *substantialis* mutatio formae intersit, idest ubi non remaneat in verbis eadem significatio.

XVIII.

Non ita vero se res habet quando

(*a*) *Decr. pro Arm.*

mutatio materiae, vel formae sit tantum *accidentalis*, talis nempe, quae substantiali earundem integritati haud officiat. Nam mutatio hujusmodi, saltem si fiat absque prava intentione errorem, aut haeresim, aut novum ritum inducendi, validitatem Sacramenti minime impedit.

XIX.

Ex hoc tamen nullo modo erui potest, hanc accidentalem mutationem licite a quoquam semper fieri posse, modo nulla intersit prava intentio. Siquidem etiam, seclusa intentione inducendi aliquid novi, adhuc saepe potest esse illicita.

XX.

Profecto peccat minister, qui contra suae Ecclesiae Catholicae praxim absque necessitate materiam, aut formam sacramenti audet accidentali mutatione corrumpere; quia praeterquam quod Ecclesiae usum contemnit, non ea, qua debet observantia Sacramentum perficit.

XXI.

Nec satis est in Sacramentorum confectione eorum materiam, aut formam non immutare, sed requiritur praeterea intentio faciendi quod facit Ecclesia; scilicet hanc intentionem in ministro Sacramenti adeo necessariam esse defendimus, ut si desit, nullum efficiatur Sacramentum.

XXII.

Hujusmodi necessitas a nemine judicari potest placitum scholarum, de quo, salvo fidei negotio, disputari possit. Est namque Catholicum Dogma a Tridentino Concilio post Eugenii IV. decretum ita definitum: *Si quis dixerit in ministris, dum Sacramenta conficiunt, et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia; anathema sit* (*a*).

XXIII.

Quare quis Novatoribus non succen-

(*a*) *Sess. 7. can. 11.*

seat qui tradunt, non requiri intentionem ministri ad valorem Sacramenti, et valida autumant Sacramenta etiam a demente, aut ebrio collata?

XXIV.

Caeterum ex Tridentini Concilii canone nullo modo sequitur, ad validitatem Sacramenti in ministro requiri explicitam intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Nam sufficere potest etiam implicita.

XXV.

Neque ita opus est, ut minister habeat intentionem generalem faciendi quod facit Ecclesia, ut non possit habere particularem; immo melius est si habeat particularem, idest conferendi Sacramentum v. g. Baptismi, Absolutionis, Confirmationis, etc.

XXVI.

Hanc intentionem ad valorem Sacramenti necessariam non habet Minister, cui non sit animus serio exercendi ritum Sacramenti. Sane Tridentina Sy-

nodus definit, non perfici Sacramentum Poenitentiae, *si Sacerdoti animus serio agendi, et vere absolvendi desit* (a).

XXVII.

Hinc defendimus, rata non esse Sacramenta joco collata.

XXVIII.

Jure igitur, ac merito damnavit Leo X. (b) illud Lutheri: *Si Sacerdos non serio, sed joco absolveret, si tamen credat poenitens se absolutum esse, verissime est absolutus* (c).

XXIX.

Neque dici potest, nullitatem Sacramenti ab hujusmodi ministro collati tribuendam non esse defectui intentionis necessariae, sed defectui probitatis ministri ipsius. Id enim est omnino falsum.

(a) *Sess.* 14. *c.* 6.
(b) *Bul. adversus errores Luth.*
(c) *Art.* 12.

XXX.

Utique quidem fatemur, nefas esse existimare, Sacerdotem, qui lethalis culpae sibi conscius Sacramenta conficit extra necessitatis casum, quolibet omisso contritionis actu, licite id peragere, nullaque culpa aggravari. At quis dicat, Sacramenta ob id irrita esse?

XXXI.

Sane nihil profecere Apostolici stantes pro nullitate Sacramenti ab hominibus malis collati, quod videre est apud Bernardum (*a*).

XXXII.

Nec aliud dicendum est de Valdensibus, Albigensibus, Hussitis, iisque omnibus qui in eodem luto haeserunt.

XXXIII.

Hinc sustinemus, irritum non esse Sacramentum a Catholico, etsi impro-

(*a*) *Serm. 66. in Cantica*

bo, scelestissimoque viro collatum; modo nihil eorum desit, quae ad illius essentiam requiruntur.

XXXIV.

Id nemini fas est in dubium revocare, cum apertissime Tridentina Synodus definiverit: *si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quae ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum; anathema sit* (*a*). Immo in eadem Synodo legimus etiam: *si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab Haereticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti cum intentione faciendi quod facit Ecclesia non esse verum Baptismum; anathema sit* (*b*). Quid plura? *In casu necessitatis*, inquit Eugenius IV. in Decreto, *etiam Paganus baptizare potest*.

(*a*) *Sess.* 7. *can.* 12.

